

17

PRÆFATIUNCULA  
AD VERSICULOS QUOSDAM PRÆFIOS  
RAVENNATIS AGNELLI  
LIBRO PONTIFICALI,  
ET ADJECTAS OBSERVATIONES.

**T**anta est versuum, qui Agnelliano Operi præmittuntur, barbaries, ut de illis omitendis, cætera de scripturis, cogitaverim. Cum nullæ Grammaticæ leges in ipsis sint observatæ, ac proinde rectæ syntaxis ordo passim perturbatus (omitto syllabarum, & versus quantitatem neglectam) vix quidquam boni elici posse videbatur; quinimo minime sperabam alicubi me ineptissimæ Scholastici versificatoris sensum assecuturum, cum temere tempus pro tempore, modum pro modo, casum pro casu assumpserit ille, unde quasi sonos, & implicatissimus, Oedipum potius, quàm *ἔκφυτο* petat. Et profecto quamvis seculi noni barbaries aliunde sit cognita, ut minus mirari liceat, si summam latini sermonis corruptelam in his, quæ supersunt eorum temporum scriptis, deprehendamus, quæ etiam eorundem sinceritatem, & auctoritatem commendat; tanta nihilominus horum versuum est deformitas, & scribilibigo, ut vix inveniri posse crediderim in ejus, & sequentis seculi Scriptoribus amplius ejusmodi characteris argumentum; tale sanè, quod scripti sinceritatem aperiens, scribentis mentem abscondit. Hoc tamen non obstante, nil omissum volui, & integrè quidquid ad Agnelli opus spectat publici juris faciendum existimavi, ne inde quidquam ab Eruditis desideraretur, quod ex Estensi Codice suggeri posset. Descripsi itaque ineptissimam versuum seriem, eamque attentius contemplatus, nonnulla eruisse mihi visus sum, quæ Libri Pontificalis opus, & Scriptoris Agnelli vitam illustrant. Hinc versus ipsos præponendos statui, interjectis observationibus meis. Aliqua non intellecta lubens fateor, quæ proinde statius duci intacto relinquere, ne divinando, arbitraria potius, quàm probanda, Lectori obtruderem. Versibus talis præfigitur titulus;

Incipiunt Versiculi cujusdam minimi Scholasticorum titulantes opus Libri sequentis.

OBSERVATIO PRIMA.

**S**cholasticum (ut aliquid de hac re adnotem) se dicit in titulo, versiculorum hujusmodi Auctor. Intelligit autem eo nomine literatum prout opponitur idiotæ. Quamvis enim multiplicem acceptionem sortita sit hæc vox apud Scriptores mediæ, & infimæ latinitatis, ut docemur ab eruditissimo Duchangio in Glossario, nulla tamen aptior, commodiorve temporis, & occasione visa est. Sic Analaris Trevir. apud Brouterum à laudato Duchangio relatum; quisque futurus sis, sive potens in seculo, sive pauper, sive scholasticus, sive idiota. Novi equidem Scholastici nomen officium significasse in Ecclesiis, ejus, qui Scholæ præponebatur, ut dirigeret, ac doceret, vel linguas tantum, & humaniores literas, vel his simul cum Theologia, spectantibusque ad rem liturgicam, & divinam. At hæc temporibus Ca-

Tom. II.

**A**rolo Calvo posterioribus conveniunt. Præterea is unus erat, qui cujuslibet Ecclesiæ Scholæ præficebatur, cui subsecutis recentioribus seculis Theologale munus successit, de quo vide doctissimum Tomassinum in veteri, novæque disciplina de Beneficiis. Auctor autem horum Versiculorum se unum ex pluribus eodem titulo, seu munere gaudentibus, Scholasticum dicit, dum se minimum Scholasticorum vocat. Ordinem igitur virorum Ravennæ vigentes seculo nono procedente mihi videor videre, qui in maxima aliàs bonarum artium caligine, nonnihil in dicendi arte, lingueque Latine usu profecisse videbantur supra cæteros, & Scholastici vocabantur, quo nomine, & is, qui talis habebatur, absque jactantiæ vitio uti poterit, quod servata proportione præfuerit recentiori Magistri, Doctorisve elogio. Scholasticorum hujusmodi ordinem potuit Ravenna ex Græcis accepisse, qui titulo eodem honoris causâ distinxere viros eloquentes, quod bene actum est cum Zacharia Scholastici cognomine decorato Justiniani ævo, ut sentit Tarinus in notis ad Zacharia Dialogum de Mundi opifi. contra Genebrardi mentem. Scholasticum etiam Ravennæ virum ex Magistratu illustrem fuisse Gregorii Magni ævo, indicant hujus Pontificis Epistolæ. An hic Scholasticorum minimus Ecclesiasticus fuerit, necne, definiendo argumenta desunt; veruntamen si quis illum, quod huic operi illustrando manum admoverit, Ecclesiæ vitæ addictum velit, non abnuo.

**C** In Patris, Natiqæ, & Sancti nominæ Flatus, Cùm certum propter Seclî indicium studuissent, Atque Redemptoris hominum natalis Iesus Regum, & Pontificum multi scripsisse Magistri Quod quisquis tempus sedisset, Imperiali Rector, & egregius Pastor quòd Pontificali Sede. Augustorum scripserunt ferrea Regna, Imperium quorum tandem ceu claruit altum Partibus occiduis, laticum quæ copia, surgit; Et sanctæ vitæ, ceu tempus Apostolorum Quoquo modo insignes radiarunt ore, manumque.

OBSERVATIO SECUNDA

**U**t autem ad Versus ipsos accedam, & eorundem sensum, quantum licuerit, commodum eliciam, ita undecim priores supra descriptos intellico, ut paraphrastice in hunc modum exponi possint, quod scilicet, præmissa invocatione Sanctissimæ Trinitatis, dicat Auctor, multos Magistros, doctos videlicet, viros, cogitasse de scribendis Historiis à Redemptoris ortu auspicientes, propter clarum indicium seclî, idest ad Posterorum notitiam, ac eruditionem, tum Regum, tum Pontificum, ac præcipue quo quisque tempore vel Imperator, imperiali, vel Pontifex, pontificali Sede, sedisset; inventos præterea fuisse, qui utrorumque acta scriberent

C